et clamabat · si quis sitit ueniat ad me · Qui biberit de aqua quam ego dabo ·
flumina aquae uiuae fluent de uentre eius · Hoc enim dicebat sicut in euange
lio legitur de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Ad quem uelut
uirga ligni passionis accessit · ut emanaret credentibus gratia · Et tamen illi
tamquam generatio praua et amaricans. Apposuerunt adhuc peccare
ei · Id est non credere · Nam hoc est peccatum de quo arguit spiritus mundum · sicut
dominus dicit: de peccato quidem · quia non crediderunt in me. Et exacerba
uerunt altissimum in siccitate · Quod alii codices habent in inaquoso. Quod
de greco est expressius · nec aliud quam siccitatem significat · Utrum in illa
heremi siccitate an potius in sua · Qui a licet bibissent de petra non uentres
sed mentes aridas habebant · nulla uirentes fecunditate iustitiae. In qua
siccitate magis fideliter deo supplices esse debuerant. Ut qui sacietatem donaue
rat faucibus · aequitatem donaret et moribus · Ad eum quippe fidelis anima
clamat · Oculi mei uideant aequitatem · Et temptauerunt deum in cordibus
suis · ut peterent escas animabus suis · Aliud est petere credendo · aliud temp
tando · Denique sequitur · Et detraxerunt de deo et dixerunt · numquid
poterit deus parare mensam in deserto · Quoniam percussit petram et fluxerunt
aquae et torrentes inundauerunt · Numquid et panem poterit dare · aut
parare mensam populo suo · Non credentes ergo petierunt escas anima
bus suis · Non sic apostolus iacobus escam mentis precipit postulari · sed a creden
tibus eam peti ammonet · non a temptantibus atque detrahentibus deo · Si
quis autem uestrum inquit indiget sapientia postulet a deo · qui dat omnibus
affluenter · et non improperat · et dabitur ei. Postulet autem in fide · nihil
hesitans. Hanc fidem non habebat generatio quae cor non direxit suum ·
et non erat creditus cum deo spiritus eius · Propter hoc audiuit dominus et distulit ·
et ignis accensus est in iacob · et ira ascendit in israhel · Exposuit quid digne
dixerit. Iram quippe appellauit ignem · quamquam multos prope etiam
ignis accenderit. Quid ergo est quod ait · audiuit dominus et distulit · An distu
lit eos introducere in terram promissionis quo ducebantur quod intra pau